

15. **D. Dammeriana** Kränzl. n. sp. — Caules tenues, flaccidi, certe penduli, ad 40 cm longi, dense foliati, ancipites, vaginae carinatae haud articulatae, pars libera ad 4 mm longa, laminae persistentes, glaucae, minute lepidotae, lineares, rectangulariter divergentes, acutae vel aristulatae, sub apice minute ciliato-denticulatae, basi ipsa in margine superiore semper plicato-sinuatae, ad 2,5 cm longae, ad 4 mm latae, siccae virides, pedunculi basi brevissime vaginati, vaginis albidis, obtusis, ad 1 cm longi, bractea 1 multo majore, 1 minore praediti. Flores cheu omnino deflorati et partim destructi. Sepala certe ovato-oblonga, acuta, ad 6 mm longa, linea mediana in dorso et margine muricata, petala ambitu similia, labellum ex ungue lineari cuneato-dilatatum, antice rotundatum, utrinque in angulum brevem uncatum evolutum, gynostemium? — Capsulae oblongo-ellipsoideae, densissime albido-muricatae, aculeis longis, satis teneris, flexilibus praediti, ad 1,2 cm longae, ad 6 vel 7 mm diametro. Flores sicci (et verosimiliter vivi) albidi.

Subaëquatoriale andine Provinz. Sierra Nevada de Sta. Marta (Herbert Smith n. 2773!); Costa Rica (Endres n. 66!)

Nota. Planta sub nomine *D. graminoidis* Lindl. distributa est, quod falsum esse primus exposuit cl. Dr. Udo Dammer. Dolendum est, quod specimina post anthesin collecta sunt et flores jam siccitate adeo erant destructi, ut accuratius examinari non possint. Folia omnia ipsa basi plica insiliente quasi auriculata sunt, quem quidem characterem nunquam adeo manifestum observavimus. Capsulae longiores sunt et graciliores quam in aliis speciminibus et aculeis mollibus albidis dense vestitae, fere velutinae dicendae.